

&c. 3) Apocryphum illum Pſalmum: *Puſillus eram inter fratres* &c. ubi tamen monetur: *Hic Pſalmus in hebraicis codicibus non habetur, ſed nec in LXX. interpretibus. eſt idcirco repudiandus.* 4) Hieronymi Prologum in Verſionem ex LXX. notum illum et obuium in Bibliis: *Pſalterium dudum Romae poſitus* &c. 5) denique *Tercium*, ut praefertur, *Prologum* Autore mihi ignoto, cujus initium: *Liber pſalmorum quamquam vno concludatur volumine, non eſt tamen vno eodemque faſtore* &c. In decurſu quaedam e Prologo *Hilarii* in Pſalmos agnofcas. Pſalmi ipſi Rubricis allegoricis inſigniuntur, uti etiam Particulae Cantici Canticorum. Ad calcem legitur: *Finitur Eccleſiaſticus et conſequenter prima pars bible Anno 1453°.* Non ita conſequenter; plurima enim vetuſta Exempla Partem alteram a *Libris Salomonis* auſpicantur. Alterius Partis noſtrae fortem ignoro.

XLIV.

R. 3257 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 229. f. max. per duas columnas charactere luculento ſplendide exaratus, minio diſtinctus, et Initiorum literis grandibus laete picturatis viſendus complectitur vulgatae Verſionis *Pentateuchum, LL. Joſue, Judicum, Ruth*, magnoque dein ſaltu *Libellos Salomonis, Sapientiam* et *Eccleſiaſticum*, ad quae per Portam mire coloribus variatam introducimur, cui litera unciali in-

ſcriptum: *Incipit Epistoſta Beati Jeronimi Ad Paulinum Presbiterum De Omnibus Diuine Yſtorie Libris.* Ita reliqui quoque Libri ejus *Prologis* gaudent, non tamen ſat emendatis. Initium etiam *Geneſeos* magnifice comtum eſt. Textus diſtributionem *Capitum*, qua nos utimur, a prima manu non habet. Multis vocibus rectae pronuncia-tionis ergo Accentus impoſiti ſunt. *Cantica Canticorum* Perſonarum interloquentium nominibus diſtinguuntur. *Siracides* miniata paſſim Argumenta dicendorum praefert, et ſubnexam habet *Orationem Salomonis* e III. Reg. c. 8. et II. *Paralip.* c. 6.

Fol. 226. p. 2. *Incipit Paſſio Sanctorum Hermachore et fortunati.* Manu ejusdem Sec. ita: *Si quis unanimiſſimam ſanctorum martyrum contempletur* &c. Edita eſt haec Paſſio primum a *Bon. Mombritio* ſub Typographiae exordia *Mediolani*, ut videtur, inter *Vitas Sanctorum fol. 1. p. 2. f.* Ex hac Editione cum Codd. *mſſ.* collata reproduserunt illam *Bollandiani* ad diem 12. *Julii* p. 251. Neſcio vero, quis Codex illis perſuaſerit, ut Praefatiunculam, cujus initium dedi, quaeque uſque ad verba: *laedere arbitrentur*, pertinet, mediae narrationi n. 4. prorfus incohaerenter infererent. Temporis ſucceſſu non parum aucta et interpolata fuiſſe haec *Acta* in conſeſſo eſt apud Criticos, quos praecipue nomen *Auſtriae Provinciae*; et *Ataulſus* cum *Ulſio* a S. *Marco Aquilegiae* inventi offenderunt. At qui a Codice noſtro totum iſtud abeſt;

abest; a *Praefatiuncula* enim, quam dixi, ita profequitur: *Temporibus apostolorum crescebat cotidie christianorum fides, crescebat in uerbo domini, crescebat etiam in caritate ab adolescentia eorum usque ad uenerandam etatem, non aliud exercentes nisi orationibus cum ieiuniis uacantes semper quæ dei erant meditabantur. Sed dominus, qui eos in una caritate coniunxit semperque gubernando custodiuit, ipse etiam et a passionis gloria non separauit. Predicante igitur beato petro apostolo apud urbem Romam uerbum domini nostri ihesu christi per uniuersum orbem terrarum, postquam altercatus est una cum beato paulo apostolo cum symone mago ante neronem imperatorem in urbe Roma, propter nomen domini nostri ihesu christi imperante illis diebus nerone prefato principe in Roma beatissimi apostoli petrus et paulus passionem suscipientes cum martirii corona ad dominum migrauerunt. Audientes itaque apostoli de beatissimorum petri et pauli obitu beatum Marcum euangelistam romam transmiserunt, ut eos, quos petrus per eloquium dei ad christi perduxerat fidem, ipse eos suo confortaret uerbo. Qui cum uenisset in urbem Romam et predicare cepisset, uniuersus populus, qui propter passionem beatissimi petri apostoli tristis erat, uiso beato Marco nimio gaudio sunt repleti. Cum autem ibidem moratus esset plurimis annis, egrediens ab urbe cepit per ciuitates et per omnem locum uerbum domini predicare, ubi etiam plurimum populum deo*

*acquisiuit. Veniens autem in ciuitatem aquilegiam, que est ex ciuitatibus italię prima, multos ad fidem christi adduxit baptizans eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Cumque ibidem plurimo permaneret tempore, uoluit iterum Romam reuerti, uniuersus uero populus non permittebat eum exinde ambulare quoquam. Qui confortans animos eorum ordinauit eis episcopum beatissimum Hermachoram. Abhinc incidit narratio in Bollandianorum num. 5. et cum iis usque ad finem decurrit, licet lectiones variae non desint. Quamuis igitur in hætenus relatis quaedam ueritati historicae repugnent, antiquiora tamen censeo praefutis illis de *Ataulfo* et *Ulfo*; magisque genuina, inde etiam motus, quod Codex praefens repertus est in *Carnioliae* Coenobio *Sitticensi* Ord. Cist. a. 1135. fundato et olim ad Dioecesin *Aquilejensem* pertinente. Ceterum praeter citatos de *Aëtis* nostris adi, si lubet, *J. Fr. Bern. M. de Rubeis Monumenta Ecclesiae Aquilejensis, Argent. 1740. C. III. col. 26. f.**

*Fol. 228. p. 2. sequitur ἀνεπιγραφεως Passio Margaretae V. et Mart. quam Antiochiae Pisidiae subiit, ut habent Baronius in *Martyrol.* et Bollandiani T. V. *Jul.* ad diem 20. p. 24. ubi isthaec *Aëtæ* tanquam fabulosa et absurda merito exploduntur. Ediderat jam ea *Mombritius* *supracit.* T. II. *fol. 103. p. 2.* auctore quodam *Tetino*, quem nos certe rectius *Theotimum* legimus, non sane pi-um et doctum *Tomitanum* *Scythiae**

ae Episcopum ab Hieronymo C. 131. inter *Viros Illustr.* relatum. Eorum initium est: *Post passionem et resurrectionem domini nostri ihesu christi et gloriosam eius ascensionem &c.* Abrumpuntur autem in verbis: *Ahuc peto domine, ut siquis basilicam in nomine meo — levi sane dispendio.*

Ceterum Codicem hunc iussu *Folknandi* Abbatis *Sitticii* inter annos 1150—80. scriptum fuisse, *Augustinus de Civitate Dei* inter *Codd. Patristicos* hoc *Vol.* relatus certum facit; ornatus enim utriusque ita geminus est, ut non ovum ovo magis.

XLV.

- R. 8 Codex membraneus lat. Sec. ut videtur, IX. Foll. nunc 222. f. maj. literis Langobardicis luculentis per duas columnas exaratus, initiis picturatis, a *Michaele Troyso* U. J. D. quondam donatus *Archivio Domus SS. Apostolorum Clericorum Regularium de Vrbe Neapolis*, atque inde in Palatinam nostram delatus complectitur *Partem I. S. Bibliorum* edit. vulg. a *Genesi* ad *Judices*, eamque mutilam; est enim nunc initium a C. XXX. *Gen. v. 26. meam. Da michi uxores et liberos meos &c.* Fol. 30. minio: *Explicit liber genesis. Incipiunt capitula libri exodi. De infantibus hebreorum quos precepit pharao in flumine proici. &c.* Numerantur ejusmodi *Capitula CLIX.* caractere minori perscripta. Fol. 73. *Explicit Exodus. Incipiunt Kapitula Libri Levitici. Locutus*
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

est dominus ad moysen de tabernaculo testimonii et de sacrificiis. &c. numero LXXXIV. Fol. 104. *Explicit Liber Leviticus. Incipit Capitula De Lib. Numeri. Recognitio duodecim tribuum facta a moyse et aaron! et a duodecim principibus a uiginti annis et supra preter leuitas. &c.* numero LXXIII. Fol. 150. *Explicit Liber Numeri Qui Appellatur Hebraice Vaiedabber (III.) Incipiunt Capitula De Libro Deuteronomii.* At vero haec absunt, unius modo columnae spatio vacuo eis relicto. Fol. 188. p. 2. *Explicit Helleaddabarim. Quod Nos Dicimus Deuteronomium;* et statim absque capitulatione sequitur *Liber Josue*, ad cujus calcem fol. 215. p. 2. notatur: *Explicit Josue Ben Nun. Incipit Sophthim. Id est Judicum.* A fol. 223. luculentus ille character in minorem, sed aequae coevum, mutatur, et quidem C. V. v. 14. columnaeque dilatantur, donec abrumpatur *Codex* in his C. XVIII. v. 6. verbis: *Qui respondit eis: Ite — — Quod sane dolendum non solum ob ejus adcuracionem, sed etiam venerandam speciem, et aevi illius καλλιγραφία.* In Monasterii cujusdam usibus eum olim fuisse declarant *Lectiones* in ecclesiastico Officio per annum haberi solitae hinc inde minio adsignatae.

XLVI.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 955 XIII. Folior. 284. f. maj. jam per duas, jam per tres, etiam quatuor